

subjectarum et Comitatus huic nostro resignandarum Clementer elargita, debito effectui mancipari potuerit, illud omnino obstitit, quod praefatus Comitatus Zagradiensis nullum ex parte sua ad qualemcunque praemissorum intuitu pertractationem, vel proceduram, ex rationibus in advoluto itidem isthic in Copia ejusdem Comitatus Responso contentis, ingressum se facere posse declaraverit.

Quantum tamen ipsam Comitatus hujus Instaurationem attinet, non obstante eo, quemadmodum in erectione novi hujus Comitatus Benignitatis Regiae et vere maternae ad provehenda Boni publici commoda Sollicitudinis insigne documentum perenni gratitudine suscipimus et homagiali devotione sumus venerati, ita congregatis pro praescripto Termino reliquis Comitatus hujus Statibus et Ordinibus, ejusdem Comitatus Instaurationem et in merito nonnullorum etiam aliorum in Benignis Resolutionibus Regiis expressorum, discutique per nos clementer demandatorum negotiorum, generalem Congregationem omnino celebravimus, cujus Acta dum Excelso Consilio Regio hicce acclusa demisse submittimus, una Excelso Consilio Regio humillime referimus, relate ad 4-um in iisdem Actis contentum Articulum, Salaria Magistratualium nostrorum, aliasque in Schemate isthic adnexo contentas necessitates domesticas eferre universim florenos 7050, *Comunitatis vero Fluminensis annum Contributionale calculatum in Actis Commissionis Aulicae die 18-a Aprilis 1776 ad florenos 978 xr. 19 1/2 asurgere* ex Contributione denique pro anno 1766. per Statum Militarem exacta-pro Statu Provinciali nonnissi florenos 1043 xros. 34 3/4 cadere. —

Hinc ad complendam quidem praeviam in Schemate Salariali expressam Summam, quemadmodum pro imponendo Dominiis quoque Chabar, Brod et Grobnik, Dominiis item Cameralibus, ex Districtu antehac Commerciali efformatis, Quanto Contributionali, necessariam eatenus per Suam Majestatem Sacratissimam mediante Benigno de dato 26-a Juli 1776 ex Consilio Cancellariae Regiae HungaricoAulicae ad Excellentissimum Dominum Gubernatorem Fluminensem emanato Decreto Aulico et tenoribus postremae Benignae Resolutionis demandatam eorundem Dominiorum Conscriptionem relate ad efformandam justam proportionem omnino proxime aggrediemur, ita et fundamento relate nempe ad Constitutivum et summam ipsius quanti Contributionalis ad mentem ibidem provocati Decreti Aulici Quantum Contributionis juxta ejectionem anni 1770 in Schemate per Suam Majestatem Sacratissimam Benigne approbato contentum in fl. 3742 xr. 50 per nos ex generali hac Congregatione, inclusa etiam parte, quae ex praemissa Summa Communitati Commerciali Buccariensi inhaesura est, et per nos Communitatemque illam peracta mox Conscriptione, pro justo et aequo ab invicem separabitur, assumptum haberi demisse significamus, tamque Summam hanc, quam et refusionem Anticipationis florenorum 10.000 in Benignis Resolutionibus Regiis contentam, pro Saliis Status Personalis, comparatione praeterea Domus Comitatus, aliisque necessitatibus extraordinariis, in praeadvoluta Tabella uberius expressis, adinterim deservientis nobis applacitare gratiose digne-tur. — Caeterum illud etiam Excelso Consilio Regio humillime referimus, quod cum plenariam repartitionem et ejectionem praemissi Quanti Contributionalis antelatis Dominiis uberius imponendi, impositae item Domesticae relate ad quantitatem Summae Benigna Ratificatio Regia, relate vero ad proportionem individualis Quanti ipsa Locorum Conscrip-tio praecedere debeat, ne interea omnis incassatio in aggravium ipsorummet Contribuentium suspensa remaneat, per mo-